



21 (3)

NOBILIUM QUÆSTIONUM
ETHICARUM DECAS III.

De
VIRTUTE MORALI
IN GENERE.

Quam

*Divino Numine favente in inclyta VVitte-
bergenſium Academia:*

PRÆSIDE

Viro Clarissimo

M. HENRICO VELSTENIO,

Philos. Moralis Prof. Publ.

discutiendam examinandamq;

proponit

CONRADUS VVAGNERUS

Brunſvigius.

Ad diem 28. Julij hora locoq; consuetis.

Seneca in Epist.

*Nulla possessio, nulla vis auri, & argenti
pluris quam virtus aestimanda est.*

WITTEBERGÆ,

Typis Joh. Gormanni, Anno 1610.



V I R O

*Antiquâ generis prosapiâ nobilissimo, virtutum
heroicarum splendore clarissimo, & sincerâ
pietatis laude conspicuo*

Dn. FRIDERICO à Schulenburg.

in inclutâ Brunsvigâ jam residenti.

Ut &

*Amplissimis, consultissimis rerumq^{ue} tum Polit.
ac Med. praestantissimis ac peritissimis*

Dn. MARTINO CHEMNITIO, Cancellario digniss.

Dn. GERVASIO MARSTELLERO Archiatro solertiss.

Dn. MARTINO MARSTELLERO Consiliario Secretiori.

Illustrissimi Principis Dn.

DN. PHILIPPI II. Ducis Stetini Pomeraniae,

*Evergetis, Mecœnatibus ac Fautoribus suis debito
observantiæ genere atatem colendis.*

Hanc συζήτησιν ἠθικὴν in grati animi monumentum submissè offert

Conradus VVagnerus,

Brunov.

Auctor & Respond:



DECADIS III.

QUÆSTIO I.

Quid virtus moralis, quæque ejus
causæ?



E ultimo hominis fine antegressâ disputati-
one satis operosè contendimus: nunc ad me-
dium acquirendi finis ostendenda est via.
Quemadmodum enim vanum est, longo
intervallo separatam intueri palmã, si nul-
lo utaris medio, quo apprehendas: ita stul-
tum est in fluctibus hujus vitæ intueri finē,
si nullo utaris medio, quo acquiras. Cum verò motu corporis,
palma, motu virtutis beatitudo capiatur: idcirco post explica-
tam hominis beatitudinem, de virtute agendum erit: cujus
rei etiam hac questione aliquod faciemus auspiciū.

Et quidem I. definimus virtutem ex Philosopho no-
stro, *Quod sit ἔξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι ἕσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὠρισ-
μένη λόγῳ καὶ ὡς ἀνὸ φρόνιμου ὀρίσσειν.* II. Genus virtutis fa-
cimus ἔξιν, seu habitum, quod sequente questione latius osten-
demus. III. Differentiæ loco addimus 1. quòd sit ἔξις
προαιρετικὴ. 2. ἐν μεσότητι ἕσα πρὸς ἡμᾶς. 4. ὠρισμένη λόγῳ φρο-
νίμου definita ratione viri prudentis. IV. Causæ efficientes &
quidem propinquæ sunt 1. Actiones, quod in exercitationi-
bus nostris Ethicis disput. 3, thesi 42. probatum invenies.

Α Α

2. Εὐφροσύνη

2. *Εὐφροσύνη* naturæ bonitas. 3. Educatio & assuefactio.
V. Objectum virtutis duplex est. Proprium & quidem exte-
rnum: vel commune & internum. Illud sunt res ex quibus
actiones prodeunt, v.g. Pecunia est proprium liberalitatis ob-
jectum: τὰ φοβερά καὶ θάρρα δεισιφροσύνης &c. Hoc sunt
affectus quos Philosophus omnes doloris & voluptatis nomi-
ne complectitur lib. 2. Nicom. c. 3. VI. Subjectum vir-
tutis aut est denominationis aut inhætionis. Illud est to-
tus homo; hoc vis appetitiva recte rationi sese subjiciens.
VII. Extrema virtutis sunt excessus & defectus.

QUÆSTIO II.

An Virtutis genus sit habitus?

Negant & pernegant hoc quam plurimi I. Quia i-
dem genus virtutis & vitij. Sunt enim sub eodem genere.
At habitus non est verum & germanum genus vitij:
quia genus competit omni speciei & semper, cum ei essentielle
sit: & quod alteri per se inest, semper ei convenit, nec opposi-
tum convenire potest. Colleg. Connimb. 2. Phys. c. 7. q.
10. a. 1. At non omni vitio competit habitus & sæpè habitus
oppositum inest. Actio enim vitiosa semel perpetrata vitium
est, quæ tamen habitus non est, sed potius non habitus v.g. si
quis per omnem vitam castus fuerit, ac justus: & tamen se-
mel contingat. ut adulterium committat, furtum perpetret, is
ex vitio egisse dicitur, cum tamen vitij *ἕξις* appellatio neutri-
quam attribui possit. Quod si ergo vitium potest esse vitium
licet non sit habitus, virtus potest esse virtus, licet cum *ἕξις*
non sit conjuncta. II. Affectio, cum sit posterior eo, cujus
est affectio, non potest esse ejus genus, At habitus est
affectio virtutis eam insequens. Dicimus enim: hic &
huic est habitus virtutis, ubi non alia quam subjecti & adjun-
cti affectio. Ergo &c. III. Habitus qualitas est fixa
perma-

permanens & diuturna, quæq; à suo subjecto difficulter
dimoveri potest. *Atqui etiam optimi quique in multis la-
buntur & impingunt, Ergò in istis virtutes dici non pos-
sunt esse seu habitus.*

Alij contra, cum veterum limites non sint temere
loco movendi; idcirco hic pro Aristotele, qui genus
virtutis habitum esse voluit, sibi standum esse putant, &
quidem his freti rationibus.

*I. Quia non ab una actione sed à virtute denominamur prohi
Arist. 2. Nicom. c. 2. Vide etiam exercitat. nostrarum
Ethicarum disputat. 3. quæst. 7. II. Ideò virtus moralis
non naturà nobis inesse dicitur, quòd assuetudine comparetur,
quod planè falsum, si virtus non esset habitus. Habitus enim
est qualitas acquisita & in animum quasi imposta. Scalig.
exercit. 307. s. 27. III. Si vera esset adversa sententia, ho-
mo per somnum virtutem amitteret. Atqui absurdum hoc,
Ergo &c.*

Pro quæstionis determinatione notandum, dum
virtutis genus dicitur esse habitus, eam secundum suam perfe-
ctionem & Ideam accipi, cum omnis ars omnisq; facultas e-
jus sit quod optimum est. Arist. 5. Topic. cap. 6. Quò refer
illud Piccol. grad. 4. c. 41. Dum de genere alicujus rei loqui-
mur, debemus semper optimum, absolutum, perfectumq; illius
generis inspicere. Id enim est finis perfectè & absolutè tale. Per
id autem quod absolutè & perfectè est tale, vera propria & sin-
cera rei conditio cognoscitur, quæ est regula cognitionis alio-
rum. Et appositè ad rem subtilitatum ille Magister Scaliger:
Etiam si nullus homo sit justus: tamè justitia est habitus anime
distribuens secundum rectam rationem, ab humanitate, quæ
hominis essentia, dimanans & dependens. Exerc. 71. sect. 1.

*His ita premisis ad argumentum primum responde-
mus, negando assumptionem, distinguendoq; inter vitium &
vitiosant*

virtuosam actionem, *Ad alterum dicimus. Habitum bisariam accipi* 1. Pro rei perfectione. *Sic dicimus: Hic vel ille comparavit habitum Eloquentia hujus vel illius artis.* 2. Pro qualitate perfecta & difficulter mobili. *Priori modo virtutis genus non est habitus, sed posteriori. Denique ad tertium dicimus, actu secundo sublato non statim tolli actum primum. Ergo licet quandoque virtuti objiciantur impedimenta, quò minus actiones suas edere possit: nihilominus tamen splendorem suum retinet, non secus ac sol non raro nebulis tegitur, & oculis nostris eripitur, cum tamen splendorem suum non amittat.*

QUÆSTIO III.

An virtus moralis sit posita in mediocritate?

Pro stabilienda affirmativa adducimus Philosophiæ coryphæum Aristot. Essentiam virtutis in mediocritate rectè collocantem 2. Eth. c. 2. & 6. Rationes sunt hæ: 1. A minori ad majus. *Si in artibus artiumque operibus bonitas & perfectio ex mediocritate censetur: multo magis in virtutibus perfectio ex mediocritate estimanda. Ratio consequentiæ patet: Quia virtus præstantior est arte, artes enim administra sunt virtutis, etiam suum esse nomenque à virtute sortiuntur, quod exemplis ut demonstretur haud opus est.* 2. A contrario. *Contrariorum contrariæ sunt causæ. Conservatio seu generatio & corruptio sunt contraria. Ergo habent diversas causas. Pergo: si habent diversas causas, necesse est, ut virtus, in qua datur talis corruptio & conservatio, per aliud corrumpatur, per aliud conservetur. Corruptio autem per excessum & defectum. Ergo etiam per aliquid conservatur, quod cum non sit nisi medium, relinquatur, quod essentia virtutis in mediocritate consistat.* 3. *Idem ex natura*

tura contrariorum. Si affectus & actiones ideo estimandæ
vel judicandæ vitiosæ & malæ, si vel parùm vel nimium tō
nētōv excedant, necessario sequitur, illas vicissim pro bonis
habendas & laudandas, si in mediocritate cōsistant. 4. Ab A
analogia virtutis & medij: Sicut in qualibet re unū tantūm,
medium, excessus verò & defectus multiplex, ita uno tantūm
modo ex virtute rectè agere possumus & unum medium vir
tutis erit.

Rationes veriori sententiæ oppositæ sunt. 1. Quòd
iustitia in medio duorum vitiorum non sit collocata, sed soli
injustitiæ opponatur, tanquam vitio in defectu: nec detur
excessus circa iustitiam. 2. Quòd magnificentia & ma
gnanimitas in summis honoribus maximisq; sumptibus im
pendendis versentur, & propterea non in medio, sed excessu po
sita sint. 3. Quòd virtus Heroica, cūm culmen virtutum mo
ralium esse dicatur, & supra humanā conditionem nos elevet,
non videatur in mediocritate posita. 4. Quòd extremi affectu
um & actionum humanarum termini à nobis ignorentur, &
propterea non possit inter talia extrema dari medium. Prola
to exemplo extremorum liberalitatis. Nulla enim pro
digalitas est adeò magna, quin possit dari major: Nec avari
tia tanta, quin possit gradum sustinere eminentiorē. 5. Quòd
Pythagoras Virtutem ἀρετὴν extremitatem dixerit.

Pro solutione argumentorū respondemus Ad I. Iustitiæ
equè, ut cateris virtutib. dari extremū in excessu, licet proprio
nomine destituatur, & eodem injustitiæ nomine indigetetur:
Injustitia enim eadem simul & ad nimium & ad parum de
clinat, cūm plus equo alteri tribuit. Ad secundum: Ma
gnificentiam ut magnanimitatem versari in maximis ratio
ne materiei, sed non ratione circumstantiarum. Servant enim
mediocritatem quatenus in maximis honoribus appetendis,
sumptibus faciendis, modum & medium servant: At tertium:
Virtutem

Virtutem heroicam esse quidem caput & cūlmen moralium virtutum, sed nihilominus mediocritatem in suo genere servare, modo Heroico, modo supra communes honorum facultates posito, quemadmodum decet virum hanc virtutem ambientem. Ad quartum: Distinguendum esse inter medium rei & persona (ut sub initio annotavimus). Nos hīc in contemplatione virtutum non respicere ad medium rei, quod semper uno & eodem modo ab utroq; extremo distat, quoad proportionem Arithmeticam. Sed medium persona quoad nos, quod ab uno extremorum magis ab altero minus distat, neq; tamen plus quā decet, propter varietatem circumstantiarum, aut persona, respectu proportionis Geometrica. Tale medium sunt quatuor inter duo & novem. Atq; tale medium sufficit actioni virtutum, quia non semper uno eodemq; modo agere possumus, sed variē pro respectu circumstantiarum & loci. Concludimus ergo illam inscitiam terminorum extremorum actionis mediocritati nihil detrabere, siquidem medium ejusmodi restrictum Arithmeticum hīc non agnoscimus. Ad quintum respondemus, Virtutem duobus modis considerari vel κατὰ τὴν ἰσότητα & tunc dicitur esse mediocritas: vel κατὰ τὴν ποιότητα secundum qualitatem, h. est, bonitatem & perfectionem suam & tunc potest dici ἀρετός, quia ipsa in rebus humanis supremum locum in ordine bonorum sibi vendicat.

Q U Æ S T I O IV.

Annon ergò malè derideat Tempellus Aristotelis doctrinam de Mediocritate?

Non hīc eā verborum vehementia in Tempellum debachabimur, qua ille in Aristotelem; sed hasce partes relinquentes ijs, quibus convicia convitijs regerere volupe est, nunc in presentiarum Aristotelem, imò veritatem ipsam à quibusdam ejus allatrationibus, modestè vindicabimus. Et quidem
Aristo.

*Aristoteles cap. 6. lib. 2. pro mediocritate tale affert argu-
mentum: In omni natura continuata ac dividua est quod
præstat & superatur & quod æquale seu medium est. Jam
actiones ethicæ sunt continuatæ ac dividuæ. Ergo in ijs
datur aliquod quod præstat, superatur & æquale seu me-
dium est. Ad infringendam hujus argumenti vim infert
Tempellus; In minore non idem assumi, quod in majore: Ma-
jorem loqui de rebus, quæ per se, absq; respectu sunt continuatæ;
Minorem loqui de istis, quæ ratione alterius vel motus vel
Temporis &c. sunt continuatæ. Ad hoc respondemus
majorem æquè loqui de ijs, quæ cum respectu aliquo sunt con-
tinuatæ, & sic procedimus: Omnes actiones naturales in
quibus plus minusvè est, referuntur ad seriem accidentiũ. Jam
si totam classem perlustraverimus ad nullam aliam, quàm ad
quantitatem, & quidem continuam, revocare poterimus. Si
hoc, pergimus: nulla continua quantitas est per se, sed cum
respectu vel motus vel temporis. Ergo & actiones, de quibus
loquitur major, sunt cum respectu aliquo continuatæ. II. Al-
terum argumentum Aristotelis hoc est: Quod ab eo, quod
nimium parumvè corrumpitur, id à mediocritate con-
servatur. Sed virtus ab eo, quod nimium parumvè, cor-
rumpitur. Ergo &c. Huic Syllogismo ut labem aliquam
aspergat, invertit primò Tempellus majoris propositio-
nis prædicatũ, ac si Aristoteles ita argumentatus esset; Quod
ab eo, quod nimium parumvè, corrumpitur, id à mediocritate
ortum habet. Non procedit hæc Sophisticatio. Alia est
causa conservans seu perficiens & alia procreans. Aristoteles
non dixit à mediocritate oriri virtutem, crebra siquidem actio
& exercitatio est causa procreans, & proxima, sed perfici &
conservari. Hinc virtus non dicitur in mediocritate consiste-
re ratione ortus, sed ratione perfectionis, & quatenus jam ha-
bitu acquisita. Secundò negat & minorem, inquiens, tan-
tum*

B

tum

rum roboris & excellentia inesse virtuti, ut à vitio aut per excessum & defectum nunquam frangi aut expugnari possit. Concedimus hoc aliquo modo quatenus sc. virtus jam habitu confirmata est: habitus enim dicitur qualitas longa exercitatione comparata, perfecta ut haut facile mutari queat, Si verò virtutis vocabulum respectu dispositionis ad habitum consideretur, negamus, tunc enim virtus maxime potest corrumpi à vitio. Tertio increpat in constantiam Aristotelis, quòd dixerit Virtutum esse mediocritatem, & tamen collineando petere mediocritatem. Verum & hic Tempellus distinguenda perperam confundit: quandoquidem virtus est mediocritas habitu acquisita; petit autem mediocritatem respectu propensionis ad habitum. Quarto contra assertionem Aristotelis, quòd dixerat mediocritatem esse formam virtutis, sic instat: Forma non sustinet locum generis. Mediocritas enunciatur de virtute tanquam genus ab Aristotele, Ergo non est forma. De majore tecum, mi Tempelle, non disceptabimus, sed te remittimus ad Zabarellam lib. 4. de Methò. cap. 14. Ad minorem dicimus mediocritatem non enunciari de virtute tanquam genus, verum ut differentia de specie, quemadmodum rationale de homine. Vocabulum enim habitus sustinet locum generis: Differentia verò specifica est mediocritas quoad nos relata. Denique generaliter pro se Tempellus concludit & argumentatur. Nulla disciplina aut scientia in mediocritate debet consistere, sed in summo perfectionis gradu; alias non meretur nomen discipline aut scientie. Sic opus artificis eò dicitur perfectius, quò magis in excellentiori gradu est constitutum. Ergo & virtus talis esse debet. Respondemus. Nulla disciplina consistit in mediocritate ratione perfectionis, sed ratione essentiae quatenus potest augmentari. Eadè & virtutis ratio. Videmus itaq. quam jejune
presens

presens Tempellus de Aristotelis mediocritate sentiat, & quod magis gloria cupiditate (si scilicet existiusmodi cavillationibus aliqua oriri potest) quam veritatis fervore, hanc doctrinam Aristotelicam derideat.

QUÆSTIO V.

Cùm medium quacunque in re invenire sit admodùm difficile, quænam hanc ad rem præcepta notanda?

Præcepta de inventione & electione mediæ virtutis hæc Aristoteles 2. Eth. cap. 9. tradit notatu digna.

1. Ab eo extremo quod medio magis adversatur, magis recedendum est, & declinandum ad id, quod videtur medio propinquius, minusque adversari.
2. Ab ijs vitijs, ad quæ naturâ sumus procliviores magis recedendum, & è contrâ ad alteram partem declinandum est: *natura enim nostra, postquam corrupta & depravata est, magis tendit & inclinât ad mala, quàm ad bona.* 2. *Appetitus repugnat & adversatur rectæ rationi, ideoque appetitui, qui mala ut plurimum suadet, crebrò resistendum & rectæ rationi obtemperandum.* 3. *In omni negotio voluptas est negligenda nec quicquam ex voluptate æstimandum, aut ejus gratiâ ineundum: Illa enim, ut rationi inimica, impedit omne consilium, nosq; blanditijs suis à virtute & actionibus probis detorquet. Atque hæc, si probè servaverimus, tandem personæ virtutis attingemus & acquiremus.*

B 2

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quomodo acquiri possit virtus moralis?

Nec hîc eadem inter omnes sententia; Cùm enim tria sint quasi media ad virtutem, Φύσις, πάθος & ἀσυναίεσις unus hoc, alter illud medium acquirenda virtutis esse voluit. Verùm, ut brevibus dicamus, quod res est, Nullum horum, quæ diximus, simpliciter & seorsim pro vero medio acceptari potest, sed hæc omnia unâ ad virtutem comparandam concurrunt; unum tamen alteri prevalet, ita ut unum cause efficientis remota, alterum verò propinqua locum mereatur. Picc. grad. 4. cap. 17. Requiritur itaque primo Natura tanquam causa remota, quatenus vocem virtutis pro aliquo inchoamento accipimus. Si enim naturalis propensio & inclinatio deest, non datur progressus ad habitum. Non tamen solâ naturâ perficitur virtus, quatenus pro habitu completo & absoluto consideratur, quod contra Galenum, asserentem virtutes nobis per naturam solam & temperamentum corporis competere, multis argumentis demonstrare possumus I. Ab autoritate & testimonio Platonis: Si virtutes naturâ perficiuntur & nobis insunt, nunquam possumus in vitia prolabi, quia natura agit semper uno & eodem modo, Et natura est immutabilis. 2. Eth. c. 1. Sed consequens falsum: Ergo & antecedens. 2. Si virtus homini natura inest, utiq; necessario omni homini inerit. Quæ enim generis sunt, illa & cujusvis speciei sunt. At non inest omni homini, quod experientia testatur, Ergo. 3. Quæ naturâ nobis insunt, cum illis ita comparatum est, ut illorum actus posteriores sint potentijs, quod Aristoteles declarat exemplis à sensibus desumptis: sic potentia videndi prior est ipsa visione in actu. At aliter sese res habet cum virtutibus, ibi actiones precedunt habitum ex crebris actionibus comparatum: Habitus verò rationem potentia; actio verò actus obtinet.

net, Ergo virtus moralis naturâ solâ nobis non inest. 4. Quæ ex iisdem per eadem generantur & corrumpuntur, ea non sunt à naturâ. Sed habitus morum seu virtutes morales ex iisdem per eadem generantur, crebris enim actionibus si sunt honestæ, virtus acquiritur, iisdem etiâ, si sint vitiosæ, deperditur. Ergo virtus non est à natura. Coeterum accedit & māgnis doctrina, non virtutem constituens (aliâs omnes doctrinâ imbuti possent agere secundum virtutem, quod falsum) sed dirigens virtutem quatenus cum prudentiâ conjuncta: prudentia enim pendet à scientiâ; Omnis verò scientiâ proficiscitur à doctrina. Ergo & virtus.

Postremò requiritur assuetudo, crebra exercitatio & diligens assuetudo, tanquam causa propria & adequata, hæc enim perfectum tandem virtutis habitum gignit & absq; hac nemini ad vere virtutis culmen ascendere datum est. Concludimus itaq; ad acquisitionem virtutis requiri. 1. Naturalem inclinationem tanquam causam inchoantem. 2. Doctrinam, tanquam continuantem. 3. Crebram exercitacionem, tanquam perficientem, secundum Mantuani illud:

Gignit, alit virtutem usus, confirmat & auget.

QUÆSTIO VII.

An Tempellus justè damnet Aristotelem, quòd homini non naturâ virtutem ingeneratam dixerit?

Distinguiamus hæc in questione inter hominem ante & post lapsum. Ante lapsum homo à DEO ita creatus fuit, ut virtutibus se decentibus, non caruerit. Martyr. in 2. Nicom. cap. 1. pag. 243. Post lapsum distinguimus inter semina virtutum, quæ natura nobis tribuit, & ipsum habitum, qui doctrinâ & assuetudine comparatur. Innuit hæc Philosophus lib. 2. ad Nicom. cap. 1. quando inquit:

ἔτε πῖρα φύσιν ἐγίνοντο αἱ ἀρεταὶ· ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δε-
ξαδαυ αὐτὰ, πλεισμένοις δὲ διὰ τῆ ἔθας. Probat hoc Ari-
stoteles aliquot argumentis, quorum primum hoc est, Quic-
quid est naturale non mutatur consuetudine. Mores
& virtutes mutantur consuetudine. Ergo nobis natura
non insunt. Majorem confirmat exemplo lapidis & i-
gnis. Lapis millies jactatus sursum, non mutabitur consuet-
tudine, ut per se ipsum moveatur sursum. Neq; ignis ita pote-
rit assuefieri, ut deorsum spontè descendat. Hæc inductio
Tempello non satis plena est, ut ei fidem facere possit:
idcirco eam infringere maximè laborat. 1. Instans ab
agris desumptâ. Agrorum, inquit, feracitas frequenti cultu-
râ corrigitur & illorum sterilitas neglectu & inscitâ colendi
deperditur. 2. A plantis, quæ cum naturali inclinatione
sunt languidæ, industriâ tamen curâ possunt elevari. 3. Ab
avibus, quæ naturâ ad sermonem ineptæ, usq; tamen ad lo-
quendum possunt institui. 4. A corrupta natura Socra-
tis, qui etsi fuit bardus & depravatus: tamen naturam illam
correxerit. Sed noli cum larvis luctari, mi Tempell. nec ipse ti-
bi hostem sige, quo cum hastam vibres. Nunquam id as-
seruit Aristoteles, Naturalia immutari non posse, quin po-
tius pro vero maximè obtinet, artem tum emulari, tum perficere naturam lib. 2. Phys. §. 79. Verùm hoc unice conteno-
dit ἄλλως ἢ ἐξ ἑξῆς αὐτοῦ, sicuti, verbi causâ, Ignis assuefacti-
tione æternum non discit spontè deorsum ferri. Et hoc re-
spondisse sufficit ad omnes istas ἐκτάσεις. Alterum argu-
mentum quo confirmat Aristoteles, Virtutem naturâ nobis
non inesse hoc est, Quæcunque natura insunt eorum po-
testates priores sunt actibus. At virtutis potestatem non
ante habemus quàm actum. Ergo non inest naturâ. Atq;
hic iterùm universalitatem negat Tempellus exemplo
cum aquæ, quæ non ante humectandi potestate, tum ignis,
qui

qui non prius potestate caloris præditus, quàm actum exerat.
Sed audi, mi Tempelle, si bonus es: Anne potentia activa est
causa sui actus? Omnisne causa prior effecto natura sc.? Ergo
omnis quoque potentia prior actu. Aut quis adeò stupidus, ut
omnem potentiàm actui præripere velit? Sequeretur enim,
quòd nullus haberet sensum, nisi quando actu sentiret: seque-
retur, quòd aqua non esset humida aut ignis calidus, nisi quan-
do actu humectet aut calefiat, Verfor in comment. Mera.
quæst. 2. lib. 9. Sed nolumus plura adducere, quæ hîc contra
Aristotelicam doctrinam accumulât Tempellus, quæ, quo
loco habenda sint, in ipso conflictu querentibus facile osten-
demus.

QUÆSTIO IIX.

An Virtus in homine per gradus recipiatur?

Explicabimus prius, quid per gradus recipi intelligamus,
ut eò foelicior in cæteris nobis detur progressus.
Quæritur hoc in Græcâ: An virtutū habitus in homine
per gradus recipiantur, hoc est, An ita possint intendi &
remitti, ut modò magis, modò minùs suscipiant, in uno con-
stantes, in altero constantiores ac firmiores appareant? U-
traque sententia suos habet ad stipulatores. In affirmati-
vâ qui eunt, his utuntur rationibus. Prima est à præmio
virtutis, quod est honos. Hic cum non sit equalis, nec equali-
ter omnibus distribuatur, necesse est, habitum virtutis quoque
esse disparē, & in uno clariorem, in altero obscuriorem, quia
propter inæqualitatem virtutis, inæqualiter honores decer-
nuntur. 2. Si objecta virtutis in homine intenduntur & re-
mittuntur, utique etiam virtus.

Sed

Sed prius est verum: quia voluptas & dolor, quae sunt ob-
jecta virtutum, manifestè recipiunt magis & minus: inter-
dum enim majori, interdum minori, in actione aliqua dolore
vel voluptate afficimur. E. & consequens. 3. Si prudentia, quae
tanquam dux virtutis, longo rerum usu acquiritur, interdum
magis, interdum minus laudabiles producit effectus, utiq; et-
iam virtuti tales gradus competunt, per quos in homine reci-
pitur. 4. Ad virtutem requiritur natura bonitas, tanquam
inchoamentum, ut in antecedentibus questionibus determi-
natum est. Jam verò natura variat nec in omnibus una est
atq; eadem. Ergo etiam nec virtus uno semper eodemq; modo
operatur, sed modò magis, modò minus.

Huic sententiæ sese opponunt Stoici, asserentes vir-
tutem in individuo esse positam, nec ullo modò magis
aut minus suscipere, nisi his argumentis.

I. Omnis intensio & remissio fit per mixtionem contrarij.
Contrarium virtuti est vitium, vitium cum virtute, sicut nec
honestum cum inhonesto permisceri nequit, aliàs actio vitio-
sa denominaretur. Ergo neq; etiam intendi & remitti. 2. Nul-
lum totum perfectum & absolutum recipit gradus, virtus in
se est tota absoluta, perfecta, quia perficit id, cuius est virtus.
Ergo. 3. Si vitia sunt paria, multo magis virtutes, quia con-
trariorum eadem ratio est, sed vitia sunt paria. Ergo & vir-
tutes & per consequens non possunt in uno magis, in altero mi-
nus excellere. Minor probatur. Quia vitium non positum
est in hoc vel illo errore, sed absolute in declinatione à scopo:
quare quicumq; ab his, sive parum sive multum recedunt, æ-
què omnes dicuntur errare.

Pro determinatione hujus questionis notandum
virtutem dupliciter posse considerari: 1. In se & ratione
essentiæ suæ, 2. Prout in homine recipitur. Priori mo-
do virtus non recipit magis & minus, quia uniuscujusq;
rei

rei essentia est certa constans & definita. Proinde Aristoteles 8. Metaph. cont. 10. Essentias rerum numeris comparat, quibus nihil addi & quibus nihil detrahi potest, sine variatione speciei. Posteriori modo virtus iterum dupliciter consideratur vel cum relatione ad ultimam absolutissimamque perfectionem, qua recepta est, nec hac ratione recipit gradus: vel secundum universam suam latitudinem, prout in instanti recipitur & per gradus ob actionum aliarumq; circumstantiarum varietatem acquiritur. Et hac ratione non solum unum hominem altero perfectiorem, sed etiam unum eundemq; hominem distinctis temporibus virtuosiores esse, in confesso est.

Ad argumenta itaq; contraria Stoicorum respondemus; Ad primum negando maiorem propositionem. Non enim necesse est, ut remissio semper fiat per mixtionem contrarij: sufficit, ut fiat per accessum ad contrarium qui accessus, quasi medium est inter virtutem & vitium. Ad secundum concedi minorem, quatenus virtus consideratur in se suaq; essentia; non vero in sua latitudine sumpta. Ad tertium, Minorem esse simpliciter falsam, Si enim vitia omnia essent paria, non essent diverse poena instituta, nec tam multifariae leges latae.

QUAESTIO IX.

Utrum simpliciter verum sit, Quod dixit Hieronymus: Omnis virtus sine Christo vitium est?

Etsi non desunt qui simpliciter huic sententiae Hieronymi subscribant, nimirum ij, qui Ethnicorum virtutes cum fuerint sine Christo & fide, in numeram vitiorum, & peccatorum,

C

nullo

nullo habito respectu, referre student, juxta illud Rom. 14.
Quicquid sine fide, peccatum est, tamen ipsorum opinioni nul-
lo modo simpliciter assentiri possumus, ut nec alteri, Quæ vir-
tutibus nimium tribuit, & ob virtutes Ethnicos in numerum
salvandorum referri posse statuit. Vtraque enim à tramite veri
aberrat. Prior in defectu, altera in excessu peccat. Non enim
virtutes Ethnicorum peccatum dici poterunt, siquidem Deus
suo modo etiam ad virtutes in non renatis concurrat, Rom.
enim 2. dicitur. Gentes naturâ, quæ legis sunt, fecisse; Hoc est
virtutum opera legi Dei congruentia. Nec etiam ea perfecti-
tudo, ipsorum virtutibus ascribi poterit, quasi illis operibus fue-
rint salvati, cum sola fides id operetur, & salutis æternæ nos
participes reddat, sine quâ fide cum vixerint, difficile est de ip-
sorum salute aliquid affirmare. Ut itaque medium teneamus,
& vera via incedamus, necesse est dupliciter virtutem
consideremus 1. in se & sua naturâ, prout est rectæ ratio-
ni & sic etiam legi Dei consentanea 2. Ratione subje-
cti, prout inest homini non renato. Priori modo, virtus
vitium non est, & hac ratione neque Ethnicorum opera & vir-
tutes quæ fuerunt absque Christo, sunt vitia, siquidem & Deo
placuerunt. Posteriori modo, quatenus insunt homini non
renato, & respectu subjecti pro vitiis & peccatis, virtutes abs-
que Christo sunt habenda. Deinde tenendum est illud, virtutes
hominibus inesse dupliciter, Quædam insunt quatenus sunt
homines, quia non ex fide, sed ex naturâ originem trahunt, ut
opera naturæ agere, politicam societatem adjuvare &c. hæc
non meruere peccati nomen, nec vitia dici possunt etiam sine
fide in non renatis. Quædam verò insunt sola fide, ut invo-
catio Dei, cultus divinus, charitas, distributio Eleemosinarum
in pauperes, quæ virtutes cum sint absque Christo, vitia sunt
nec modo vitia sed & peccata damnantia.

QUÆSTIO

Q U Æ S T I O X.

An homo naturâ feratur in bonum?

Keckermanus in præcognitis systematis Ethici Cænone 7. pag 30. & 49. docet objectum voluntatis esse verum bonum, ad quod per se, hoc est, suâ essentia feratur. *Loquimur, inquit, de voluntate in suâ definitione & essentia considerata, non de volütate per peccatum corruptâ & à sua essentia degenerante, qualis prob dolor nunc est omnium hominum. Oportet enim hominis essentiam ab hominis morbo & corruptione discernere, secundum essentiam suam homo fertur ad verum & bonum; ad verum quidem ratione intellectus; ad bonum ratione voluntatis.* Hæc ille.

Nobis hæc suspecta & planè Esavitica videntur.

1. *Quia omnis actio est singularium. Ergo præsupponit existentiam. Ergò adscribi nequit homini actio, quæ ab ipso ratione puræ essentia dependeat. Si enim ageret ratione vera essentia, omnino etiam ratione puræ essentia existeret. Ergo absurdum est, adscribere voluntate humana operationem, in quantum voluntas est, & non in quantum talis voluntas.*

2. *Ex hac sententia facile stabilitur status virium naturalium, qui quàm extreme Esaviticus sit, in ipsa disputatione ostendemus.*

Pro quæstionis decisione dicimus hominem respectu noticiarum naturalium, quæ sunt reliquæ imaginis

ginis divinæ ferri in bonum: respectu vitiosi habitus
ad malum, quod tamen ipsi ob cœcitatem intelle-
ctus videtur bonum. Hinc duas contrarias pro-
pensiones in se experitur homo, ex quarum conflictu
sæpissime oritur lucta & pugna, de quâ sæpius
egimus. *Et sic jam subsistimus.*


Soli DEO Gloria.




X2677027

VD 17








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



217 (3)

M QUÆSTIONUM
RUM DECAS III.
De
ITE MORA-
N GENERE.

Quam
e favente in inclyta VVitte
ensium Academia:
PRÆSIDE
ro Clarissimo
CO VELSTENIO,
Moralis Prof. Publ.
dam examinanda mōq;
proponit
US VVAGNERUS
unsvigius.
Fuly horā locoq; consuetis.

neca in Epist.
nulla vis auri, & argenti
virtus astimanda est.
TTEBERGE,
Gormanni, Anno 1610.

